

QUAER. 4<sup>o</sup> *An Superior, ratum habens damnum, mandanti comparandus sit?*

*Resp. Neg.*, si ratihabitio executionem damni subsequatur, quia tunc damnum influere nequit. Secus vero, si damnum praecedat, seu propositum damni inferendi respiciat, et in illud vere influat. — Vogler, etc.

675. **Resolves.** — 1<sup>o</sup> Mandans ad nihil tenetur, si tempestive mandatum revocaverit, licet mandatarius, ad mercedem promissam accipiendam, finxerit se revocationem ante damnum illatum non accepisse.

2<sup>o</sup> Si constet, mandati revocationem non fuisse auditam vel intellectam a mandatario ob surditatem vel distractionem, mandans ad restitutionem tenetur; quia effectus sequitur vi prioris mandati. Eadem ratio valet, si mandans litteras revocantes mandatum mittat, et hae casu aliquo intercipientur. — Lugo. — Vogler, n. 273., 277.

3<sup>o</sup> Qui alium inducit precibus tantum ad damnum proximo inferendum, in suam propriam (inducentis) utilitatem, mandanti comparatur, licet damnum auctoritate non imperet (4), quia est principaliter agens in ordine morali. Executor enim agere non censetur nisi loco ipsius, adeoque ad damnum inducens omne onus reparationis in se assumere censetur. — Vide *Casus*, n. 637.

#### §. II. De consulente.

676. **Principia.** — I. Consulens peccat contra iustitiam, quoties sciens et volens praebet iniquum consilium, quo alter efficaciter inducatur ad damnum iniuste inferendum; quia damnum est hoc ipsi imputabile. Constat etiam ex propositione 39<sup>a</sup> ab Innoc. XI. damnata, quae sic iacet: *Quia alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.*

II. Consulens, qui bona fide dedit damnosum consilium, cognita veritate tenetur illud retractare, et quidem ex iustitia. Sequitur ex supra

mandatum; at id limitant, si in potestate fuit mandatarii fines mandati servare. Ergo et in casu si moraliter non erat possibile errorem cavere, error mandanti imputari debet. *Mandando quis illicitum* (inquit Perezus in lib. 1. c. tit. 35. n. 7.) *videtur omnia mandasse, quae probabiliter poterant concomitari.* Hinc C. fin. *de Homie.* in 6<sup>o</sup> irregularis pronunciat mandans verberationem, si mandatarius fines mandati excedens mutilet vel occidat.

(4) Iam advertimus, ad *mandati* rationem nihil pertinere auctoritatem man-

*dantis; mandatum enim dicit contractum, quo quis libere assumit onus gerendi alterius negotium, non vero officium subditi, qui superiori aut domino pareat.*

Caeterum qui alium precibus inducit, inter consulentes potius, quam inter mandantes recenseri debet; et qui precibus cedit, suo ipsius, non vero nomine rogantis, quamvis in huius utilitatem, agit. Inter cooperatores igitur non primum, sed secundarium locum in ordine ad onus restituendi occupabit.

dictis de illo, qui inculpabiliter causam damni posuit, n. 662. — Vogler, etc.

III. Consulens vero non tenetur ad restitutionem, si executor absque illo consilio aequè bene et eodem modo damnum fuisset illaturus; quia tunc consilium non efficaciter in damnum influxit. — S. Lig. n. 561.

677. **Quaesita.** — **QUAER.** 1<sup>o</sup> *An teneatur ad restitutionem consulens, qui consilium suum revocat ante executionem damni?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> *Neg.*, si consilium fuerit *nudum*, id est simplex, quia per revocationem tollitur tota vis consilii. — *Ita communiter.*

*Resp.* 2<sup>o</sup> Si consilium fuerit *vestitum*, seu motivis innixum, controversatur. *Probabiliter etiam neg.*, modo adhibita fuerint in retractatione alia motiva, saltem aequè efficacia (5). — Ita Azor, etc... contra *alios*, quorum sententiam probabilior dicit S. Lig. Excipe, si furi ad damnum inferendum determinato ostenderit modum ingrediendi domum, quem secus non invenisset, aut quid simile; quia cooperatio tua tunc fuit vere efficax, praesertim si praevideris, furem pravum suum propositum non esse mutaturum; nisi tamen monueris eum, cui damnum imminet, ad quod in casu teneris, ut censent Doctores apud S. Alphonsum, n. 559. (6).

**QUAER.** 2<sup>o</sup> *An teneatur ad restitutionem consulens minus malum ad maius avertendum?*

*Resp. Neg.*, si agatur de eadem persona, quia consilium ipsi favet, nedum noceat; secus autem iuxta multos, si agatur de alia, de qua damnificator non cogitabat, quia haec rationabiliter invita merito censetur. — S. Lig. n. 565. Contrarium tamen tenent alii ratione satis probabili ducti (7).

(5) Efficaces suapte natura sunt quam maxime rationes a fide petitae: quibus si alter nihil deferat, in se totam damni causam retorquet. Caeterum etsi S. Alphonsus probabilior dicat oppositam opinionem, esse tamen hanc *satis probabilem* fatetur: et cum hanc ipsam alii *valde probabilem*, uti Laymann, alii etiam probabilissimam, uti Roncaglia (apud S. Alphons. lib. 3. n. 559.) dixerint, non debet sane, neque potest imponi restituendi obligatio, praesertim quod restituendi onus certissimum is habeat, qui damnum intulit, et sic damnificato satis sit consultum.

(6) S. Alphonsus allegat Salmanticenses et Sporer; qui tamen (Tr. 4. cap. 3. sect. 1.

n. 22.) limitat, *si absque aequali vel maiori damno (consulens) possit damnificandum monere de damno imminente.*

(7) *Ratio est*, inquit Vasquez (*Op. De Scand.* art. 1. dub. 2. n. 14.), *quia hoc genus consilii eo tendit formaliter, ne committatur maius peccatum; ex quo fit, ut is, a quo latro furatur illud quod minus est, non sit rationabiliter invitus de eo, qui consilium praebuit.* Et Turrianus (*De Fid., Spe, etc.* disp. 95. dub. 6.): *Mihi probabilius est, tale consilium esse licitum, quando nulla alia ratione posset quis retrahi a maiori illo peccato committendo, quia consu-*

678. — QUAER. 3<sup>o</sup> *An consulens scienter malum alteri teneatur etiam de damnis, quae hic passus est exequendo pravam consilium?*

*Resp. Neg., per se.* Ratio est, quia ipsi nullam intulit iniuriam, cum nulla iniuria scienti et volenti fiat. — Secus tamen, si consulens adeo executorem circumvenerit fraudibus vel sophismatibus, ut hic ad consilii iniquitatem non adverterit.

QUAER. 4<sup>o</sup> *An consulens tantum modum iniustae actionis teneatur ad restitutionem?*

*Resp. Neg.,* si modus sit mere accidentalis, ut sunt communiter circumstantiae temporis, loci, medii. Secus autem, si modus aliquatenus redundet in substantiam, v. gr. si damnum augeat, etc. — S. Lig. n. 563.

QUAER. 5<sup>o</sup> *An teneatur ad restitutionem suadens, ut damnum citius inferatur?*

*Reg. Neg.,* si certus sit, alterum esse ad malum determinatum, nec pravam animum esse mutaturum; secus in alia hypothesi. — S. Lig. n. 563., etc.

679. — QUAER. 6<sup>o</sup> *An consulens primario vel secundario tantum ad restitutionem teneatur?*

*Resp. Per se secundario tantum tenetur,* quia executor est principaliter agens, utpote qui nomine proprio et in propriam utilitatem (8) agere censetur.

QUAER. 7<sup>o</sup> *An vel quomodo teneatur ad restitutionem dans consilium doctrinale nocivum ex ignorantia graviter culpabili?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> Si dans consilium, id agat ex suo statu vel officio, v. gr. advocatus, medicus, Confessarius, etc., tenetur ad restitutionem de damno iniusto, quod ex suo consilio sequitur, sive erga petentem consilium, sive erga illum, contra quem datur. Ratio est, quia societas ius habet, ut ille scientiam habeat muneri suo convenientem. — *Ita communiter.*

*Resp.* 2<sup>o</sup> Si consulens non sit talis persona, quae ratione muneris vel status sui peritiam prae se ferat, 1<sup>o</sup> non tenetur erga petentem consilium,

*lere minus peccatum in hoc casu malum non est. Deinde is, cui infertur iniuria, non est rationabiliter invitus respectu consulentis, quia ille tantum suasit minus furtum, ne latro committeret maius peccatum; esset tamen invitus respectu latronis. Quae quidem animadversio Turriani sapientissima est, quod nempe qui damnum patitur, iustam querelae causam non in consulentem minus damnum, sed solum in latronem habeat.*

Et sane charitas postulat, ut volenti malum patrare, suadeam minus; itidemque charitas exigit, ut potius impediam damnum eius, qui plus pateretur, quam eius, qui minus. Hic igitur rationabiliter invitus esse non potest respectu illius, qui ex norma praecepti charitatis rem gerit.

(8) Non videtur ad rem pertinere, quod executor in propriam, necne, an in alterius utilitatem agat.

nisi ex consilio doloso, seu nisi affectet magnam peritiam, qua caret; 2<sup>o</sup> obligatur tamen erga tertiam personam, quae inde damnum patitur, si ipse propriam imperitiam noverit, et damnum secuturum saltem in confuso praeviderit. — S. Lig. n. 564. *et alii communiter.*

680. *Resolves.* — 1<sup>o</sup> Mulieres, plebei et alii generatim, quorum nota est insufficientia, nec peritiam dolose affectant, nihil restituere tenentur iis, qui consilium ab ipsis petierint. Attamen tenentur erga alios, quibus ex ipsorum consilio damnum illatum est, si damnum istud sufficienter praeviderint; rei enim sunt, dum temeraria dantes consilia in iis, quae ignorant, se exponunt periculo innocentem invitum laedendi. — S. Lig. *ibid.*

2<sup>o</sup> Si suasionem vel hortatu causa fueris, ut maius damnum inferatur, quam alioquin illatum esset, teneris tantum de damni excessu. Unde si furi *per se* parato ad surripiendum 100 aureos, persuasisti, ut 200 surriperet, probabilius contrahis tantum obligationem 100 restituendi.

3<sup>o</sup> Si duo simul consulant furtum Petro, qui eorum consilio inductus furetur, uterque tenetur ad restitutionem; nam licet etiam altero tantum consulente Petrus furatus fuisset, de facto tamen uterque consilio suo influxit, et eo ipso uterque causa fuit furti. — S. Lig. n. 561. — Lugo, D. 19. n. 2.

4<sup>o</sup> Si fur iubeat ostendi sibi thesaurum meum, et ego ostendam thesaurum alterius, teneor restituere, quia sum causa damni; fur enim non habet determinatam voluntatem ad thesaurum alterius surripiendum. — S. Lig. n. 565. (9).

5<sup>o</sup> Consulens non eximitur ab obligatione reparandi damnum, quod consuluit, si executor, quem monuit ad restituendum, non restituit; quia efficaciter in damnum cooperatus est; cooperatio autem efficax reparationem efficacem necessario exigit. Damnificatus enim omnino indemnus fieri debet. — V. *Casus*, n. 662. et 665.

### §. III. De consentiente.

681. *Principia.* — I. Consentiens ad restitutionem tenetur, quotiescumque scienter ac libere emittit suffragium vel sententiam, ex quibus directe pendet violatio iuris alterius, id est, quoties dat consensum effi-

(9) S. Alphonsus hoc loco, nempe lib. 3. n. 565., nihil habet de speciali huiusmodi casu, sed solum generalem tangit quaestionem, an homini parato ad inferendum maius damnum possit suaderi minus etiam adversus alium; quam quaestionem etiam

A. superius n. 677. Q. 2. tetigit. Si itaque tota resolutionis huius quartae vis pendet a principiis ibi praeiactis, ad casum hunc specialem ea revocari debent, quae ibi de generali quaestione dicta sunt.

cacem in damnum seu iniuriam proximi. Dixi, *consensum efficacem*; quia si consensus efficaciter in iniuriam non influeret, non teneretur ad restitutionem, cum affective quidem, sed non effective in nocumentum consentiret; itemque si, seclusa fraude aut pacto speciali, alium a consecutione boni, ad quod nullum ius haberet, suffragio suo impediret.

II. Non tenetur de damno, qui sententiam aut suffragium prius datum authentice revocat, antequam consummetur nequitia; neque suffragans bona fide, quamvis detecto errore teneatur ex charitate, imo ex iustitia, votum suum revocare, si per tempus id ipsi liceat.

682. **Quaesita.** — **QUAER.** 1<sup>o</sup> *An teneatur ad restitutionem consentiens, qui dat iniustum suffragium, si non desint alia suffragia iam ad damnum sufficientia?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> Certum est, consentientes omnes aequae ad restitutionem teneri, si de condicto suffragia dederint; cum inita conspiratione omnium sit unica actio moralis.

*Resp.* 2<sup>o</sup> Certum est etiam, omnes consentientes contrahere obligationem restituendi, quando eodem tempore suffragium tulerunt; quia cum nullus tunc prior fuerit neque posterior, sententia resultans ex suffragiorum summa singulis suffragantibus merito tribuitur.

*Resp.* 3<sup>o</sup> Certum quoque est, non excusandos esse a restitutione eos, qui primi dant suffragium, antequam numerus sit completus, etiamsi praevideant non defuturos alios, qui consentiant, quia vere influunt in damnum; quamvis enim sine illis esset inferendum, per illos tamen, quantum in iis est, de facto infertur. — *Ita communiter.* — Vogler, n. 302. — Lugo, D. 19. n. 17.

*Resp.* 4<sup>o</sup> Utrum vero, seclusa conspiratione et simultanea suffragiorum collatione, possint excusari a restituendi obligatione ultimi suffragantes, quando iam votorum numerus ad negotii definitionem requisitus expletus est, *controvertitur*. Plures graves theologi affirmant, quia eiusmodi suffragatores nullo modo sunt causa damni, cum iam illud sufficienter ab aliis praeparatum ac determinatum fuerit. — S. Lig. n. 566. — Lugo, ibid. n. 22., etc. — *Negant* alii, quia cum nunquam perfecta censeatur sententia, nisi concludatur per omnium suffragiorum collationem, ultimi non secus ac primi in sententiam influunt (10).

683. — **QUAER.** 2<sup>o</sup> *An obligationem restituendi contrahat ille, qui suffragium non fert, cum ferre possit?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> *Neg.*, si suffragium dandum sit in merum favorem aut gratiam alicuius (11), quia nulla iniuria ei infertur.

(10) Elsi Confessario posterior haec opinio magis forte arrideat, non potest tamen onus restitutionis, utpote incertum ob rationes prioris opinionis, poenitenti imponere.

(11) Paulo obscurior est Auctoris sen-

*Resp.* 2<sup>o</sup> *Affirm.*, si dandum foret ex officio, et ipsius omissio esset causa efficax damni gravis et iniusti. — *Lugo et alii communiter.* — V. *Casus*, n. 667. 676.

#### §. IV. De palpone.

684. — *Palpo* dicitur, qui laudando, adulando, vituperando movet alium ad damnificandum. De palpone haec tenenda:

1<sup>o</sup> Qui induxit alium ad damnum inferendum proponendo laudem aut secus ignominiam securam, tenetur de damnis. Talis enim cooperatio se habet instar consilii, cum nempe agendi motiva de se communiter efficacia proponuntur. Quocirca palpo iisdem omnino obligationibus obnoxius est, ac consulens: de quibus vid. supr. n. 676. et seqq.

2<sup>o</sup> Qui homini iniuria affecto ita repraesentant huius iniuriae magnitudinem, ut ille commotus vindictamumat, ad restituendum tenentur, modo saltem probabiliter damnum securum esse adverterint.

3<sup>o</sup> Non tenetur autem ad restitutionem, qui facinus iam patratum approbat vel ratum habet, nisi causa sit, cur non fiat restitutio, aut nova damna inferantur, — S. Lig. n. 567.

#### §. V. De recursu, seu de receptante, vel recursum praebente, haec tenebis:

685. — 1<sup>o</sup> Receptans, nimirum qui scienter ac libere latroni praebet assecurationem, tenetur de damnis exinde provenientibus. Sic enim furis voluntatem in proposito vel furandi, vel non restituendi, vel iterum furandi, efficaciter ac iniuste determinat, aut firmiorem efficit.

2<sup>o</sup> Pariter ad restitutionem tenentur mercatores et praesertim caupones, qui accipiunt furta filiorumfamilias, servorum, etc., vel ea occultant, aut etiam sibi vindicare in pretium mercium, computationum, etc. solent.

3<sup>o</sup> Inter receptantes computandi non sunt illi, qui amicos vel consanguineos malefactores domi recipiunt; nec illi, qui eos sub spe emendationis occultant, vel iis ostendunt viam, qua fugere possint, cum ad carcerem vel ad necem quaeruntur. — S. Lig. n. 568. — V. *Casus*, n. 672. 674.

#### §. VI. De participante.

Participans duplex est: alius in praeda, alius in actione damnosa. Hinc statuenda sunt sequentia.

686. **Principia.** — I. Participans in praeda tenetur ad restitutionem

<p>tentia. Sensus est, non contrahi in casu obligationem restituendi, quando ius ferendi suffragii cuiquam concessum est in</p>	<p>meram ipsius gratiam seu favorem. Quocirca in fine responsionis aptius diceretur: quia nullam hic alteri iniuriam infert.</p>
---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------	----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------